Rein
1847
Municipia

Programm

Univ.-Bibl.
Giessen

# Jahresbericht

über das

## Großherzogliche

# Carl Friedrichs-Gymnaſium

## zu Eiſenach,

womit

zu den am 22., 23., 24. und 27. März Statt findenden

## Schulfeierlichkeiten

einladet

der Direktor des Gymnaſiums,

**Dr. Karl Hermann Funkhänel,**

Großherzogl. Sächſ. Konſiſtorialrath, Ehrenmitglied der latein. Geſellſchaft zu Jena.

Voran geht:

***Vilhelmi Reinii,*** *Phil. Doct., Gymnas. Prof., Societ. Lat. Ien. Sodal. Honor.*,

**dissertatio de Romanorum municipiis.**

**Eiſenach, 1847.**

Gedruckt in der privilegirten Buchdruckerei daſelbſt.

Stadt- u. Univ.-Bibl.
Frankfurt/Main

Universitäts-Bibliothek GIESSEN

# De Romanorum municipiis.

Scripsit

***Vilhelmus Rein,***
philosophiae doctor, gymnasii professor.

## Caput primum.
### De Rubinonis sententia
(in Bergkii et Caesaris actis philol. 1844, N. 109—111. 121—124).

Quum nuper de municipiis Romanis scriberem in Encyclopaedia philologica, quod opus cum Pauly beatus inchoatum reliquisset, Walz et Teuffel duumviri doctissimi absolvendum susceperunt, incidi in nonnullas res graves sane et dubias, quae accuratiore quaestione non indigna viderentur.

Primum in examen est vocanda novissima de municipiorum natura doctrina, quam proposuit Rubino vir et ingenii acumine et doctrinae copia ornatissimus, cuius quo magis et est et esse debet in his rebus auctoritas, eo magis veremur, ne multos a recta via abducat abductosque ad suam sententiam trahat*), praesertim cum in hac quoque dissertatione splendeant virtutes, quae omnia Rubinonis scripta decorant, multaque rectius quam ab aliis doceantur et egregie illustrentur. Quare non inutile erit demonstrare, eius opinionem sagacius quam verius esse excogitatam multaque quominus probetur obstare. Sententia eius haec fere est: vocab. m u n i c i p i u m inde a prisco tempore ad municipiorum interitum unam habuisse vim et notionem semperque significasse genus hominum, qui in alia civitate essent cives, in alia non cives sed municipes i. e. munerum et officiorum participes; numquam enim fieri potuisse, ut civis Rom. duarum civitatum uno tempore esset civis, quare ius civitatis a iure municipii longe esse diversum, neque unquam civitatis alicuius civem eundem et municipem aut municipem atque civem vocari posse. Quibus positis duo statuit genera municipiorum, alterum hominum, qui Romae cives extra Romam municipes fuerint, alterum (proprie peregrinorum), qui cives *in* alia urbe fuerint, Romae autem ius municipii habuerint.

In quo duo potissimum sunt, quae dubitationem moveant, primum, quod non loca sive oppida, sed genus ac conditionem sive ius hominum nomine municipii designari putat. Nullus enim locus est, in quo hanc vim vocabulum necessario habeat, contra haud pauci, in quibus

*) Nullum adhuc de hac Rubinonis quaestione legi iudicium neque quo probaretur neque quo reprehenderetur, nisi Caroli Peteri V. D., qui literis amicissime ad me datis Rubinonis argumentis sibi persuasum esse negat et non pauca mecum communicavit, quae meum iudicium et confirmarent et amplificarent.

eam nullo modo habere possit. Nam etiam in Pauli loco mox pluribus tractando quod legitur: *municipium id genus hominum dicitur*, facile vides, id brevitatis causa dici potuisse pro: *municipium dicitur oppidum eius generis hominum.* Praeter eum locum autem nullus huc trahi potest, cum in omnibus reliquis *municipium* nihil aliud significet nisi locum sive oppidum, neque Ulpiani demum aetate id factum est, ut Rubino existimat. Haec voc. notio satis probatur legibus, ut lege Iulia municipali sive tabula Heracleensi l. 9 (83). 24 (98). 34 (108) sq. 52 (126) sq. 56 (130). 61 (135). 68 (142), lege Rubria de Gallia cisalpina XX, l. 6. XXI, l. 2 sq. XXIII, l. 53. 56 sq., lege agraria Iul. Caes. Caligulae c. 3. 4. 5, monum. Ancyr. III, 23. 31. IV, 27, oratione Claudii de civitate Gallis danda II, l. 43. Ubique municipia, coloniae, praefecturae, fora, conciliabula iuxta posita videmus, quorum exemplorum auctoritatem effugere non possumus, nisi artificiosa et contorta utamur interpretatione. Neque Cicero voc. municipium alio intellectu usurpavit, cf. Phil. III, 6: *omnes qui sumus e municipiis i. e. omnes plane*, p. Planc. 8. 9. p. Sull. 7. p. Arch. 4. Liv. XXVI, 15 et innumera alia. Quid? voc. municipia fundana, quod reperitur in lege Iulia municipali, quomodo explicari possit nisi de oppidis ipsis, quae legem de civitate Romana acceperunt? Huc accedit, quod Rubino non omnes oppidi cuiusque incolas municipes fuisse putat, sed partem tantum, quae interdum perexigua fuerit necesse est; quomodo igitur fieri poterat, ut quod nomen ad paucos tantum incolas pertineret, id sensim ad totius oppidi designationem transiret?

Alterum, quod vix nobis concedi posse videatur, hoc est, quod cives Romanos ex municipiis oriundos, velut Catonem, Ciceronem multosque alios non propter originem, sed propter ius municipii in patria retentum atque quod inde sequitur, ita tantum si ius municipii in patria retinerent, municipes appellatos esse statuit. Fac enim, Ciceronem pietatis et honoris causa ius municipii servasse, quis credat eum propter hoc exile ius non propter originem municipem esse vocatum? Refellitur autem, ut paucis exemplis defungar, Rubinonis sententia tribus potissimum locis, Cic. de leg. II, 1. 2. (quem infra describemus) Phil. III, 6. p. Sull. 7. Nam quod Cicero convicium, quod Antonius Caesari et Torquatus ipsi municipis et peregrini appellatione iniicere studuerant, ita reiicit, ut doceat plurimos cives ex municipiis oriundos permultum patriae Romae profuisse, apparet, non in iure municipii retento, sed in origine municipis notionem sitam fuisse. Denique provocamus ad usum v. municeps, quod saepissime pro eo dicitur, qui eodem municipio natus est (similiter ac tribulis, popularis rell.).

Quamquam id quod modo exposuimus, tale est, ut fere unum ad Rubinonis sententiam refutandam sufficere videatur, tamen etiam rationes, quibus eam firmare studuit, persequamur et expendamus.

Primum quod dicit, vocabula iuris Romani numquam mutasse vim et potestatem, errare mihi videtur. Quis enim nescit, voc. populus, Quirites, equites, nobilis alio tempore aliam habuisse vim? quem fugit, voc. exsilium et provincia et legio sensim ex alio in aliud esse mutatum et penitus mutasse notionem, denique quot et quantae fuerunt vicissitudines voc. Latium et ius Latii? De municipio idem factum esse cur negemus?

Deinde, municipium a civitate plane esse diversum et utrumque inter se pugnare neque posse conciliari, ut non idem in eadem civitate et municeps et civis dici possit, argumentis a Rub. allatis non probatur, nam a qua proficiscitur doctrina, neminem iure Romano duarum civitatum esse potuisse civem, est ea quidem verissima, sed nihil inde sequitur neque pertinet ad nostrum argumentum, si non antea probetur, municipia semper propriam habuisse ci-

vitatem et non demonstretur, quale fuerit discrimen inter ius munic. et ius civit. et quomodo differat civis a municipe. Municipia autem foedere Latino soluto (a. C. 338 a. u. 416) non amplius fuerunt civitates peregrinorum a republica Rom. diversae et foedere aequo sociatae, sed partes potius erant reipublicae Rom. eidemque subiectae et civitate Romana — sive melioris sive iniquioris conditionis — ita donatae, ut civitas domestica plane esset exstincta. Unusquisque igitur municeps inde ab eo tempore quod dixi unam habebat civitatem — Romanam dico, quae universa et omnium communis erat, oppidi autem cui erat adscriptus proprie non civis — nam civitatem non habebat — sed incola erat. Itaque doctrina illa locum non habet, neque municipium a civitate est seiungendum, sed utrumque copulandum, semperque municipia vocantur oppida, ubi primum civitatem Rom. acceperunt, cum antea fuissent oppida vel Latina vel foederata. Municeps autem erat civis Rom., neque quisquam dici poterat municeps, nisi civis Rom. factus esset. Sic Ulpian. l. 1. §. 1. D. ad munic. (50, 1) dicit: *proprie municipes appellantur muneris participes, recepti in civitatem ut munera nobiscum facerent;* Fest. v. municeps p. 142 ed. Muell.: *Servilius aiebat initio fuisse qui ea conditione cives Rom. fuissent, ut semper rempublicam* cett. — *qui aeque cives Rom. erant;* Schol. Cruq. ad Hor. epist. I, 6, 62: *civitate donati sunt municipesque facti;* Liv. VIII, 14 Lanuvini civitate data appellantur municipes. Quid? colonias quis est qui dicat civitatem separatam habuisse a Romanis, quarum tamen similis est conditio ac municipiorum. Et municipes et coloni unius imperii sunt cives (Roemische Staatsbuerger) domicilio tantum diversi (Stadtbuerger), ut Paulus v. munic. p. 127 M. dicit: *municeps municipii et coloniae.* Quae conditio magis perspicue exprimi non potest, quam Ciceronis verbis in l. de leg. II, l. 2; nam cum dixisset de Arpino, *haec est mea et fratris mei germana patria,* et cum Atticus interrogasset: *sed illud tamen quale est, quod paullo ante dixisti, hunc locum germanam patriam esse vestram? num quid duas habetis patrias? an est una illa patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma sed Tusculum,* respondit Cicero: *Ego mehercule et illi et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae alteram civitatis, ut ille Cato, quum esset Tusculi natus, in populi Rom. civitatem susceptus est. Ita quum ortu Tusculanus esset civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris —: sic nos et eam patriam dicimus ubi nati et illam, qua excepti sumus. Sed necesse est caritate eam praestare, e qua populi Rom. nomen universae civitatis est.* Duas igitur municeps habet patrias, unam naturae, quam Paull. vocat *originalem patriam* l. 22. §. 4. D. ad mun. (50, 1), alteram iuris, sive domi manet sive Romam rerum suarum sedem transtulit. Quare Roma omnium municipum est patria nec unquam pro diversa civitate habita; cf. Cic. de lege agr. II, 32 *communis patria omnium nostrum est* (Roma), Modestin. l. 33 D. ad mun. (50, 1) *Roma communis nostrum patria est,* et Sen. consol. ad Helv. 6. Idem legitur multis scriptorum locis, qui ex postremis imperatorum Romanorum temporibus ad nos venerunt, quos qui cognoscere velit, adeat Spanhemii librum: orbis Rom. p. 160 cf. p. 35 sqq. et F. P. Mahneri comm. de M. Aurel. Anton. const. de civit. univ. orbi datae auct. Hal. 1772, p. 75 sqq.

Iam autem gravissimum est videre, num loco notissimo Pauli Diac. v. municipium p. 127 Muell. Rubinonis sententia comprobetur. Hic locus, qui Rubinone iudice accuratissime scriptus omnia quae de municipiis ante legem Iuliam dicenda sint complectitur, ut nullum verbum sit omissum, nullum superabundet, agere dicitur in prima definitione de civibus aliarum civitatum, qui Romae municipes fuerint, in sec. et tertia definitione de civibus

Rom., qui municipes fuerint aliorum oppidorum, aut eorum, quorum incolae ad-empta republica universi in civitatem Rom. transierint aut oppidorum, quibus libertas (αὐτονομία) etiamtum permissa sit. In sec. definitione Rubino explicari dicit municipia talia, qualia post legem Iuliam sola municipia fuerint, in tertia autem singulos Italos lege quadam civitate donatos, qui et cives Romani et municipes in suis oppidis fuerint. Hos factos esse cives Rom. ex Italicis, velut Tiburtinum putat proprie appellandum esse civem Romanum municipem Tiburtinum, item Campanum cett. Discrimen autem etiam in eo esse, quod in prima et tertia definitione non oppida ipsa vocentur municipia, sed continere in se municipium i. e. genus hominum civitate Rom. praeditorum, in secunda definitione oppida ipsa postea appellata esse municipia, quippe in quibus omnes incolae cives Romani fuerint.

Non negaverim, in hac explicatione multa inesse, quae egregie excogitata sint et primo obtutu magna veritatis specie arrideant, attamen ea sola vera sunt, quae de prima definitione sive de vetustissimorum mun. conditione disputavit; sed inde quod ad posteriora saecula traducit id quod proprium erat priscae aetatis, multi manant errores et difficultates. Nunc accuratius inspiciamus Pauli locum et singula quae contra Rubinonem faciant afferamus. Primum municipia primi generis municipiis alterius et tertii generis omnino non sunt opposita et contraria, quod ex Rubinonis sententia desideres et exspectes. Priora enim municipia fuerunt oppida, quorum cives ius habebant Romam commigrare ibique omnium fere rerum participes fieri, quare ii tantum municipes vocabantur, qui eo iverant ubi ius municipii habebant. Sic *municipes Tusculani* erant cives Tusculani, qui Tusculo relicto Romam se contulerant et municipes, nisi cum Romam commigraverant. Secundum hanc explicationem, cui Rubinonis opinione altera et tertia definitio est contraria, municipes alt. et tert. generis ii essent, qui Roma relicta in municipio habitarent, quod non fit, nam omnes vocantur municipes, qui in eodem oppido orti civitatem Romanam adepti sunt, sive vivunt in municipio sive Romam se contulerunt, etiamsi non amplius munerum municipalium sint participes. Neque in verbis Pauli inest indicium, in prima definitione tractari genus municipiorum, cui opposita et contraria sint duo quae sequuntur genera. Certe omittere non debebat, primo loco agi de civibus aliarum civitatum, secundo et tertio loco de civibus Romanis — municipibus in aliis oppidis. Deinde mentionem facere debebat Paulus discriminis inter primum et alterum munic. genus, municipes alt. et tert. definitionis ius honorum habuisse et in civitate sua et in municipio, quum homines quos prima definitio comprehendit hoc ius tantum in sua civitate haberent, non haberent in municipio. Nam cur alterum genus caret honoribus municipalibus, qui alteri concessi sunt? Iam ex hoc elucet, municipia priora pertinere ad aliud tempus, atque alterum et tertium genus, neque haec duo genera inter se opponi a Paulo.

De secunda definitione in hoc cum Rubinone consentimus, quod nos quoque putamus, esse oppida, quorum incolae universi sublata eorum civitate et republica in civitatem Romanam venerint, dissentimus autem, quod non sola haec civitatem accepisse neque sola post legem Iuliam fuisse municipia statuimus. Omnino vero negamus, Paulum h. l. de municipiis post legem Iuliam locutum esse, quum mirum esset, si ea municipia, quae sola vidit posterior aetas, secundo et non tertio loco collocasset. Tum non perspiceretur, cur antiquissima tantum oppida commemoraverit, ut Ariciam, Caere, Anagniam, quorum memoria postea plane evanuerat. Reliqua omittimus, quum h. l. tantum capita eorum quae Rubino disseruit, tangenda sint.

In tertia definitione plura sunt, quae dubitationem moveant, si Rubinonis sententiam sequi

velis, primum quod ait **singulos** tantum describi, qui in quoque oppido municipium civium Romanorum effecerint, tum non nisi tempus ante legem Iuliam respici. Totus orationis tenor et quod non singulos commemorat Paulus sed plurali numero velut *Tiburtes, Praenestini, Pisani* cett. omnes videtur comprehendere, demonstrat, **omnes** incolas horum oppidorum designari, non partem tantum fortasse perexiguam. Ac quum ii qui ad civitatem essent admissi, non in patria sua certam societatem efficerent, sed singuli Romae viverent, quomodo poterant nomine *municipiorum*, in quo societatis certae notio inest, appellari? Exempla vero, in quibus plura sunt oppida quae postrema in civitatem Romanam venerunt ostendunt, recentissima municipia inesse in hoc genere; neque dixisset Paulus *municeps coloniae*, si de municipiis prioris aetatis agere voluisset, nam de priscis municipiis scribenti hoc modo dicere in mentem venire non potuit. Denique nolo praetermittere Rubinonis argumentum, qui vocabulo *civitas (ut municipes essent suae cuiusque civitatis et coloniae)* fretus affirmat, haec oppida fuisse civitates liberas et foederatas, quare de tempore ante legem Iuliam sermonem esse, nam post legem Iuliam nullas amplius exstare civitates neque oppidum dici posse **civitatem**, simulac civitatem Romanam acceperit. Quanquam rectissimum est quod dicit, nullas dictas fuisse civitates nisi liberas easque sic appellari desiisse, quae in civitatem Rom. transirent, tamen id non impedit, quin etiam tertium genus ad oppida referatur civitate Romana donata. Paulus enim non dicit, illa oppida mansisse civitates, sed tantum fuisse civitates, quum Romana civitate donarentur. Ac profecto quum tertii generis homines ad civitatem Rom. venirent, habebant suam quisque civitatem et coloniam eaeque civitates et coloniae tum demum, quum illi facti essent cives Romani, id quod erant esse desierunt ac municipia facta sunt.

Quibus omnibus expensis intelligitur, Rubinonis sententiam ingeniosissime inventam et subtilissime defensam non modo nihil habere quo probetur, sed multa inesse, quae novam illam doctrinam sequi vetent. Redeamus igitur ad veterem explicationem a Sigonio profectam, municipia post Latinum foedus solutum esse oppida civitate Romana donata et faciamus periculum, singula horum oppidorum genera ex locis Festi et Pauli deducere et explicare.

---

## Caput secundum.

### De municipiorum generibus.

Ad Paulum et Festum.

Paul. Diac. v. municipium p. 127 M. I. *Municipium id genus hominum dicitur, qui quum Romam venissent neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, praeterquam de suffragio ferendo aut magistratu capiendo; sicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot annos cives Romani effecti sunt.* (Fest. v. municeps p. 142 M.: *municipes erant qui ex aliis civitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem).* II. *Alio modo, quum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venit, ut Aricini, Cerites, Anagnini.* III. *Tertio, quum id genus hom. definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipes essent suae cuiusque*) civitatis et coloniae, ut Tiburtes, Praenestini,*

*) Emendatio *municipes essent suae* pro corrupta codd. lectione *municipia essent sua* profecta a Trekellio

*Pisani, Urbinates, Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucenses.*

Qui hunc locum explicarunt, tanta sunt in varietate ac dissensione, ut eorum sententias enumerare difficile sit et molestum, quare si gravissimarum tantum mentionem faciam, a VV. DD. veniam impetraturum spero et confido. Prima definitio complectitur oppida sociorum, qui foedere isopolitico cum Romanis ita iuncti erant, ut qui vellet Romam migrare ibique omnium munerum (officiorum et iuris praeter suffragia et honores) particeps fieri posset. Eiusmodi foedus Romanos cum Latinis et Hernicis habuisse auctorum testimonia extra omnem dubitationem ponunt, ut Dion. VI, 63. 95. VII, 53. VIII, 35. 69. 70. 72. 74. 77. XI, 2. Liv. II, 22. 33. VII, 12. VIII, 2. 4. Haec de vetustissimis municipiis sententia debetur ingenio Niebuhrii, cui adstipulati sunt Goettling, Staats- u. Rechtsgesch. d. Roem. Hal. 1840 p. 410, Grauer l. l., Burchardi, Staats- und Rechtsgesch. d. Röm. Stuttg. 1841, p. 62, Puchta, Institutionen Leipz. 1841, I, p. 216. Ruperti, Roem. Alterth. Hannov. 1842, II, p. 756, Rubino in diss., de qua cap. superiore egimus et Walter, Gesch. d. Roem. Rechts Bonn. 1845, I, p. 88 sq. Sunt autem alii et hi quidem docti viri et acuti, ut Madvig, opuscc. acad. Haun. 1834, p. 236 sqq. (quocum faciunt Ambrosch, Studien und Andeut. Breslau 1839, I, p. 183. Lorenz, de dictator. latin. et municip. Grim. 1841, p. 16. de praetor. munic. 1843, p. 7. Zumpt. ueb. d. Roem. Ritter u. ueb. d. Unterschied d. Munic. Col. Berlin 1840, p. 57), Mommsen, d. roem. Tribus, Alton. 1844, p. 157 sqq., Peter in Bergkii et Caesaris actis 1844, n. 26, qui Livii loco VIII, 14, ubi eadem fere oppida quae Paul. commemoravit civitatem Rom. adepta esse traduntur, fulti et Paulum erroris arguentes illis verbis: *qui quum Romam venissent neque cives Rom. essent, participes tamen fuerunt omnium rerum, praeterquam de suffr. ferendo aut magist. cap.* civitatem sine suffragio et postremis verbis: *qui post aliquot annos cives Rom. effecti sunt* civitatem cum suffragio significari volunt. Censent enim, et Livium et Paulum de eodem tempore (338 a. C.) agere, quo illa oppida civitatem sine suffr. acceperint sed reipublicae suae speciem servaverint; quapropter illos municipes, si cum Romanis conferres *socios*, si cum externis *Romanos* s. *cives* appellari potuisse, de qua quidem confusione voc. *cives* et *socii* infra dicemus. Deinde addunt, municipia apud Paulum eadem esse, de quibus Festus v. municeps p. 142 M. loquatur (idem existimat Grauer p. 3): *Servilius* (alii *Servii filius*) *aiebat initio fuisse qui ea conditione cives Rom. fuissent, ut semper rempublicam separatim a populo Rom. haberent, Cumanos, Acerranos, Atellanos, qui aeque cives Rom. erant et in legione merebant sed dignitates non capiebant.* Sed quid nos impedit, quominus Pauli verba ad aetatem priorem (ante 338 a. C.), Livii narrationem et Festi verba ad sequentem aetatem (post 338 a. C.) referamus, cum Paulus accurate et distincte dicat, hos municipes non cives fuisse sed postea demum factos esse, cum dicat, hos socios non esse cives factos nisi si Romam migrassent et discrimen in eo ponat, quod singuli tantum iure municipii usi sint, cum in sequenti explicatione hoc ius ad universos pertineat. Verba Pauli *cum*

---

sel. antiq. Rom. Hag. 1744 I, p. 311 et repetita a Niebuhrio, quem secuti sunt Madvig, O. Mueller, Peter aliique (Zumpt similiter emendat *municipes essent suae quisque*), confirmatur Ulpiano loco l. 1. §. 1. D. ad munic. (50, 1), ubi dicit: *sed nunc abusive municipes dicimus suae cuiusque civitatis cives.* Alii aliter huic loco mederi voluerunt, sed minus feliciter, ut Grauer, de re munic. Roman. Kiliae 1840, p. 3 legi iubet: *municipia essent sua iurisque*, et Kiene, d. roem. Bundesgenossenkrieg, Leipz. 1845, p. 39: *municipes essent socii cuiusque civ. et col.*, quod ferri non potest.

*Romam venissent* quomodo Madvig interpretatur, non solum plane abundant, sed ab ipsius sententia aliena sunt, nam secundum Madvigium hi municipes non solum ubi Romae versabantur ius civitatis habebant, sed non minus in suis oppidis, immo vero pauciores Romae quam domi hoc iure uti poterant.

Sed ne dolo malo occultare videar, quae contra nostram sententiam faciant, primum oritur difficultas ex exemplis allatis, quorum pars ad hoc genus non videtur pertinere, cum dubitari possit, num Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, (nam de Lanuvinis et Tusculanis certum est) foedus isopoliticum cum Romanis habuerint. Caremus quidem certis scriptorum testimoniis, quibus foedus eiusmodi fuisse confirmetur, sed non magis probari potest, illos foedus non habuisse; nam si Liv. IV, 52 narrat: *superbe ab Samnitibus, qui Capuam habebant Cumasque legati* (ad frumentum mercandum missi) *prohibiti sunt commercio,* ideo non accipiendum est, Cumanos cum Romanis sed Samnites cum Romanis inimicitias gessisse. Quare haec difficultas quae non ex re ipsa sed ex fontium penuria proficiscitur, nos impedire non potest, quominus statuamus oppida illa fuisse municipia primi generis, eoque minus, cum haec municipia ad prisca tempora pertineant, quorum statum pristinum scriptorum, quos habemus superstites, respicere non intererat. Aliter versatus est Rubino in hoc nodo expediendo; censet enim illas urbes non ante a. 338 a. C. municipia esse facta (eodem quo Capuam tempore) unaque civitatem sine suffr. accepisse, Paulum de illo, Livium de hoc iure loqui; datam autem civitatem a paucis esse acceptam, quare eosdem postea *socios* appellari potuisse. Sed quis credat, arbitrio singulorum permissum fuisse a Romanis, ut civitatem sine suffragio ab ipsis datam reciperent (cf. cap. III)? De Cumanis, Fundanis, Formianis aliqua argumenta attulit, quae dubitationem saltem movere possent, in Acerranis autem vel haec species veri abest, ad quos argumenta illa prorsus non pertineant, et quos Liv. l. l. tradit, non solum civitatem accepisse, sed etiam *Romanos esse factos,* ut nulla dubitatio de his relinquatur, acceperintne civitatem an repudiarint.

Alius scrupulus est, quomodo ex nostra sententia haec oppida *municipia* possint vocari, cum hoc nomine singulos tantum comprehendere videamur, qui iure municipii utentes Romam se contulerunt. Minime vero v. *municipium* s i n g u l o s complectimur, neque Paulum de singulis loqui contendimus, sed Paulus nihil aliud dicit nisi hoc: m u n i c i p i u m est oppidum eius generis hominum, quibus si placet Romam ire ibi omnium munerum participibus fieri licet. Universorum quidem ius erat, etiamsi pauci tantum eo uterentur et Romam proficiscerentur (iique proprie et principio *municipes* vocati sunt), quare tota oppida, quorum incolae hoc ius haberent, ut Romam migrarent et *municipes* fierent, m u n i c i p i a sunt dicta, quod nomen postea ad alia oppida translatum est.

Altera Pauli definitio agit de municipiis, quae post solutum foedus Latinum fuerunt 338 a. C. Latino bello feliciter restincto Romani cum foedere isopolitico iuris aequabilitatem sustulerunt et ius Latinorum aliter ordinarunt. Pauca oppida pro foedere civitatem plenam cum suffragio, alia eaque plurima civitatem sine suffragio acceperunt, aliis libertas reddita et foedus novum sed minus aequum quam ante ictum. Eodem tempore, dum senatus Romanus Latinorum statum qua consuevit sapientia ordinat, etiam Campanorum status est commutatus et nonnullis oppidis, quae antea foedus aequum habuerunt, civitas Rom. est data, quam incolae libenter acceperunt, cum non cogitarent hac accepta perniciei futurae ipsos esse auctores. Hac mutatione factum est, ut voc. *municipium* quam ante habuerat vim amitteret eaque amissa iis-

dem tamen inhaeresceret, atque adeo ad alias civitates conferretur, quae aut nunc aut postea similem conditionem acciperent. Tamen non omnia erant unius generis oppida, sed pluribus rebus magno opere differebant. Gravissimum enim discrimen positum erat in eo, quod aliae iure suffragii gaudebant aliae carebant, deinde quod reipublicae suae administrationem aliae liberam servabant, aliae amissam deplorabant. Posterius discrimen primus observavit Beaufort et nostra aetate Madvig, Mommsen, Grauer, Peter aliique, qui tamen in eo errant, quod in prima Pauli definitione oppida Romana cum libera rerum urbanarum administratione, in altera civitates Rom. adempta republica inesse existimant. Discrimen illud, — de quo quidem ipso recte statuerunt, at minus recte prima definitione Pauli, quam supra aliter explicavimus, usi sunt, — magis intelligitur, ubi comparamus hanc alteram Pauli definitionem: *quorum civitas universa in civitatem Rom. venit* cum genere illo municipiorum a Servilio apud Festum laudato: *ut semper rempublicam separatim a populo Rom. haberent*, in quo illi falsi sunt, qui ad prius genus retulerunt. Nam utroque loco de iis agitur municipiis, *quorum civitas universa in civ. Rom. venit*, Paulus autem loquitur de iis municipiis, quae rempublicam suam plane amiserant, Servilius de iis, quae retinuerant, ut ex verbis eorum colligi potest. Neque dubito quin Festus in opere cuius iacturam vehementer dolemus hoc utrumque municipiorum genus, quae soluto foedere Latino orta erant, coniunctim posuerit et explicaverit; Paulus autem in epitome posterius omisit, quum hoc genus a prima definitione non differe crederet, ad quem errorem facile adduci poterat, quod eadem fere exempla ut *Cumae* et *Acerrae* in utraque definitione locum habere videbat. Hoc discrimen mirandum est Walterum p. 242 et Kienium p. 41 non animadvertisse et propterea Paulum in secunda definitione de iisdem municipiis locutum esse censere, quae Serv. apud Festum explicaverit. In *iure suffragiorum* hoc genus municipia diversa fuisse, non commemoratur a Festo, quod suffragium non pertinebat ad naturam municipiorum, sed ex arbitrio Romanorum pendebat; nam facile fieri poterat, ut municipia administratione libera donata suffragio carerent, alia, quibus adempta erat respublica, hoc ius haberent, si Romanis ita placeret. Mira tamen est dissensio VV. DD. de hac re, in qua plurimi solum municipiorum discrimen positum esse opinati sunt. Sic intellexerunt Spanhemius et Heineccius alteram definitionem Pauli de municipiis cum suffragio, alii ut Zumpt l. l. et Ruperti p. 758 municipes sine suffrag. in ea contineri putant. Certum est, paucissima municipia 338 a. C. ius suffragii accepisse (nulli datum esse Peter in egregia dissert.: die Verhaeltnisse Roms zu d. besiegten ital. Staedten und Voelk., quae reperitur in Bergkii et Caesaris actis 1844, p. 25 sqq. contendit, cuius quidem iuris nimis angustos fines constituit), sed sensim omnia ad suffragia postea sunt admissa. Secundum Livium et Paulum municipia, quibus 338 a. C. propria respublica permissa erat, haec fuerunt: I, sine suffragio: Cumae, Acerrae, Atella, Fundi, Formiae, Suessula, Capua vel magna quidem Campanorum pars (usque ad id tempus, quo defecerunt in bello Punico secundo, cf. cap. III.) II, cum suffragio: Lanuvium, Nomentum, Pedum, Tusculum. Temporis spatio intermisso alia oppida civitatem Rom. acceperunt, ut Privernum, Arpinum, Trebula, Atina, Satricum alia. Municipia sine rerum urbanarum administratione saepissime facta sunt oppida bello subacta, quibus respublica sua poenae loco adempta et civitas Rom. sine suffragio data vel imposita est ut *necessariam* vocare possimus. In hunc statum reducta sunt primum: Caere post rebellionem, nam ante hospitio publico et foedere aequo cum Romanis fuerat coniunctum, cf. Walz. Teuffelii encycl. IV, p. 219 et Madvigium p. 239 sq., deinde Anagnia 307 a. C., ut refert Liv. IX, 43: *Anagninis quique arma Romanis intu-*

*lerant civitas sine suffragii latione data: concilia connubiaque adempta et magistratibus praeterquam sacrorum curatione interdictum,* denique Capua postquam defecit (in bello Punico secundo), item Atella, Calatia et rell., quae cum rebellibus fecerant. Omnibus huiusmodi oppidis praefecti iuri dicundo a Roma missi, unde haec municipia etiam *praefecturae* appellabantur eaque ius Romanum pro suis legibus et institutis accipere coacta sunt, cf. Fest. v. praefecturae p. 233 M. Non saepe evenit, ut civitas nisi poenae causa civitatem Rom. acciperet, rempublicam suam amitteret; factum autem est, ubi novo municipio propria administratio certis de causis ne utilis quidem fuisset. Tum vero Romani civitate cum suffragio id quod amiserat municipium, large compensabant. Sic *Aricia,* cum civitatem non pro poena acciperet, statim iure suffragii donata est; nam maiorem castigationem non meruerat, quam Nomentum et Pedum, quae ipsa plenam civitatem cum suffragio acceperunt, Liv. VIII, 14. Vicinitas autem Romae effecit, ut Aricini rerum suarum administrationem amitterent et cum Romanis plane coalescerent. Sententia mea de hoc municipiorum genere affirmatur testimonio Ciceronis locupletissimo Phil. III, 6, ubi legitur: *quod autem municipium non contemnit is qui Aricinum tanto opere despicit, vetustate antiquissimum, iure foederatum, propinquitate paene finitimum, splendore municipium honestissimum?* Quis enim est qui credat, haec dici potuisse de municipio, cui civitas poenae loco imponeretur?

Tertia Pauli definitione continentur municipia novissima, lege Iulia et Plautia Papiria orta, quod et verba ipsa et exempla addita ostendunt. Neque deest VV. DD. omnium fere consensio, ut O. Muelleri, Madvigii, Zumptii, Goettlingii, Walteri, Kienii et rell., quare non opus est refellere falsas aliorum explicationes, ut Spanhemii et Heineccii, qui hanc definitionem de municipiis sine suffragio intellexerunt, aut Rupertii, qui de munic. cum suffragio cogitat, aut Graueri et Puchtae, qui oppida cum propria administratione significari putarunt. Eiusmodi interpretationibus turbatur ordo historicus, quem Paulus in describendis variis municipiorum aetatibus secutus est. Vidimus enim initio loci vetustissima municipia, qualia fuerint, haec excipiunt posteriore tempore facta et postrema municipia cf. cap. I. De iure publico et privato harum civitatum nolo repetere quae exposui in Encyclopaedia l.; nihil aliud restat, nisi ut de legibus, quibus socii et oppida Italiae civitatem Rom. acceperunt, brevibus agatur, Kiene enim qui nuper hanc rem tractavit (in libro laud. p. 215—230) saepius est lapsus. Sententia eius haec est: 90 a. C. legem Iuliam sociis fidelibus civitatem sine suffragio dedisse, paulo post 89 a. C. legem Calpurniam esse latam, qua consulibus permitteretur, ut et singulis sociis et universis oppidis civitatem darent, eodem anno legem Plautiam Papiriam esse sanctam, qua civitas singulis sociis daretur eo consilio, ut quam plurimi ex copiis hostilibus ad Romanos transirent et Romanum exercitum augerent, anno 87 a. C. reliquis Italicis populis a senatu civitatem esse impertitam, suffragium autem 84 a. C. demum senatusconsulto omnibus novis civibus esse tributum. Primum quod dicit Kiene, legem Iuliam civitatem sine suffragio dedisse ex eo concludit, quod L. Iulius Caesar et P. Licinius Crassus censores 89 a. C. censum populi non habuerint, quare novos cives neque in tribus adscriptos esse, neque suffragium habuisse. Negari quidem non potest, ab illis censoribus *nullam populi partem esse censam,* quod affirmat Cic. p. Arch. 5, sed inde non sequitur, novos cives lege Iulia suffragium non accepisse, nam census non dat civitatem, si qui per legem civitate donati sunt, sed *tantummodo indicat, eum qui sit census se gessisse pro cive* (p. Arch. 5). In comitiis centuriatis novis civibus suffragium ferre non licebat, nisi essent censi, nam a censu pendebat

classis et centuria, sed quominus in comitiis tributis, in quibus non census spectabatur sed civitas et domicilium, suffragium darent, nihil erat impedimento, si lex novis civibus civitatem plenam dederat et tribum adsignaverat. Hoc vero factum est lege Iulia, quae novis civibus octo tribus attribuit, in quibus suffragium ferrent, ut videmus ex iis, quae de lege Sulpicia referuntur. Lex Sulpicia enim 87 a. C. novos cives in omnes triginta quinque tribus distribui iussit, cum antea octo tantum habuissent, Vell. Pat II, 20 App. b. c. I, 49. 55. 64., Liv. epit. LXXVII. Patet igitur, novos cives ante legem Sulpiciam 87 a. C. latam locum habuisse in tribubus ideoque iure suffragii non caruisse, quod non minus certum esse statueremus, etiamsi scriptorum testimoniis non confirmaretur, nam quomodo civitas sine suffragio, quam etiam subacti acciperent et quae statui Latinorum superiori erat simillima, fidelium sociorum praemium fuisset? Talem civitatem tantum abest ut socii libenter accepissent, ut acerbe reiecissent. Sed Kiene in hunc errorem inductus aliam falsam opinionem superstruxit, et legem Calpurniam propterea post legem Iuliam collocavit, quod in illa suffragii mentio esset facta, de quo lex Iulia nihil rogasset. Hanc rationem non valere iam vidimus, immo causae sunt, quae legem Calpurniam ante legem Iuliam latam eaque abrogatam esse statuere cogant. Lex Calpurnia consulibus dedit potestatem, quos vellent cives facere (Sisenna apud Non. v. ergo) et duas novas tribus rogavit (Sisenna apud Non. v. senati vel senatuis). Utrumque paulo post displicuit, primum ne a consulum sed a singularum civitatum voluntate penderet, si cives fieri vellent, alterum ne veterum tribuum numerus cum quo classium et centuriarum ordo cohaereret temere augeretur; quare lex Iulia est data, quae priori abrogaret, unde intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut lex paulo post oblivione obrueretur. Si vero lex Calp. post legem Iuliam lata esset, supplementum illius esse statuere deberemus, quod propter eius argumentum admitti non potest. Mentionem legis Calp. invenire mihi visus sum apud App. bell. civ. I, 49, quamquam diserte eam non nominat; dicit enim senatum legis fuisse auctorem, quod Sisenna de lege Calp. scribit, addit eam novas tribus rogasse, in quibus novi cives postremi ferrent suffragia, item Sisenna de lege Calp. Quot tribus rogaverit, non dicit Appianus, nam δεκατεύοντες ἀπέφηναν ἑτέρας non significat, ut omnes fere interpretantur: *decem tribus esse factas,* sed novas esse factas *decuriatione* novorum civium instituta sive decuriis ad hunc finem factis. De lege Plautia Papiria recte iudicavit Kiene, ad singulos socios pertinuisse non ad civitates (ubi falso reprehendit Goettlingium p. 451 sq., quasi secus existimaverit), sed non respexit Cic. verba p. Arch. 5 *si qui foederatis civitatibus adscripti fuissent,* quo voc. non *cives* sunt intelligendi, sed *cives honorarii,* qui domicilium in alio oppido et vel extra Italiam haberent. Nam si Archia verus civis Heracleensis fuisset, non lege Plautia, sed iam lege Iulia quam Heraclea acceperat (cf. Cic. p. Corn. Balb. 8) civitatem Romanam esset consecutus. Quare sic fere dici debebat: lex Plautia erat supplementum legis Iuliae, cuius caput quod ad nos pervenit edixit, ut non solum cives civitatum foederatarum, sed etiam *adscripti* i. e. cives honorarii (velut Archia Antiochensis civis honorarius Heracleae), *si tum quum lex ferebatur in Italia domicilium habuissent et si LX diebus apud praetorem essent professi*, cives Romani fierent. Huius rei si rationem habuisset Kiene, non dixisset legem esse latam, ut exercitus sociorum rebellantium minuerentur, Romanorum augerentur. Sed alia usus est argumentatione, professionem novorum civium factam esse apud praetores, non apud censores, tabulas igitur, in quibus inscriberentur, non esse tabulas censorias sed militares delectus causa habitas; ad quae simplex est responsio: primum, non erat censorum hanc professionem accipere,

cum hi novi cives non censendi causa Romam venirent, censores autem nomina civium tantum in censu qui in belli tumultus non conveniret acciperent, deinde ponamus, censorum fuisse negotium, tamen legis latores non sine causa fecerunt, quod id munus non ad censores sed ad praetores contulerunt, fortasse quod censores designati tantum neque lege centuriata potestatem consecuti erant. Verum ex Liv. epit. LXXX iure statuit Kiene, senatum 87 a. C. reliquos Italos fecisse cives, cum Marius et Cinna Italis ad arma vocatis Romam peterent. Addere poterat, senatusconsultum huic rei suffecisse neque lege nova fuisse opus, cum lex Iulia a senatu ad reliquos Italos accomodari et transferri potuerit. Poterat etiam Vellei uti testimonio, qui II, 16 haec habet: *paulatim deinde recipiendo in civitatem qui arma aut non ceperant* (lex Iulia) *aut deposuerant maturius* (Scons. illud) *vires refectae sunt.* Denique de iure suffragii, quod Kiene 84 a. C. novis civibus datum censet, pauca sunt addenda, quamquam supra expositum est, id lege Iulia esse factum, nam verba Livii ep. LXXXIV: *novis civibus senatusconsulto suffragium datum est* (84 a. C.) pro Kienii opinione loqui videntur. Sed nimium auctoritatis tribuit Kiene huic excerpto, immemor, illa verba non sic nude accipi posse, sed plura esse omissa. Itaque haec nisi fallor referenda sunt ad legem Sulpiciam, quae cives novos in omnes XXXV tribus distribui iusserat, Mariani enim a Sulla qui iam appropinquabat metuentes, ut Italos in suas partes traherent sibique conciliarent, legem illam Italis gratissimam sed iam pridem abrogatam sconsulto illo, quod Livius appellat, confirmarunt. Quae explicatio etiam eo commendatur, quod senatui non licuit, civibus suffragium dare, nisi lege quae hoc iuberet perlata, eaque est Sulpicia. Sed ut brevi conspectu ponam, quomodo ex mea sententia illorum annorum res gestae sint ordinandae, disputationis summa haec est:

90 a. C. lex Calpurnia, quae consulibus permisit Italis civitatem dare et duas novas tribus instituit, mox abrogatur lege Iulia, quae fidelibus sociis civitatem et VIII veteres tribus adtribuit.

89 a. C. lex Plautia Papiria supplementum legis Iuliae.

88 a. C. lex Sulpicia novis civibus omnes tribus adsignat (pro VIII tribubus) et paullo post tollitur.

87 a. C. senatus consultum legem Iuliam ad reliquos Italos transfert omnesque cives facit.

86 a. C. primus census novorum civium, Cic. p. Arch. 5.

84 a. C. senatus Marianorum potentia coactus confirmat et restituit legem Sulpiciam.

82 a. C. Sulla redux civitatem Italorum et leges latas ratas esse iubet; Liv. epit. LXXXVI.

---

## Caput tertium.
## De Campanis.

De Campanorum statu et conditione quo maior est dissensio et discrepantia, eo minus meam qualemcunque sententiam proferre dubito. Prisco tempore *) usque ad bellum Samniticum Capua urbs civium opibus, agrorum fertilitate, aedium pulcritudine celeberrima et splendidissima

*) Origo Capuae tenebris occultata est et circumfusa, quod patet ex iis, quae a scriptoribus narrantur, cf. Liv. IV, 37. Vell. I, 7. Virg. Aen. X, 145. Sil. XI, 30. 299. Dion. Hal. I, 73. Strab. V, 4. cf. Muelleri Etrusker I, p. 167 sq. 171 sqq., quem librum inspicere mihi non licuit, quare ἐπέχω metuens ne repetam, quae iam dicta sunt.

